



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Ejusdem bulla de privilegiis monasterii sanctæ Mariæ Iosaphat in diœcesi  
Carnotensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

& cum omni libertate & immunitate, sicut in Domini prædecessoris nostri sanctæ memoriæ Paschalis Papæ privilegio continetur. Confidimus enim de omnipotentis Dei misericordia quia per ejus industriam locus idem tam in spiritualibus quàm in temporalibus etiam poterit restaurari. Iterum ergo dilectionem vestram rogamus, & vobis in peccatorum vestrorum remissionem injungimus, ut secundum datam divinitus facultatem prædictam Ecclesiam juvare amplius & sustentare curetis. Si quis autem adversus hanc commissionem nostram agere tentaverit, vos eundem locum protectionis vestra auxilio defendatis. Omnipotens Dominus beatorum Apostolorum Petri & Pauli precibus vos, quæ ei placita sunt operantes, ab omnibus peccatis absolvat, & ad vitam perducatur æternam. Amen. Datum apud sanctum Teudardum XIII. Kalendas Augusti, Indictione XII.

*EIVSDEM CALLISTI BULLA  
de privilegiis monasterij sanctæ Mariæ Iosaphat in diocesi Carnotensi.*

Anno 1119.

**C**alixtus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Girardo Abbati monasterij sanctæ Mariæ Iosaphat juxta Leugas in Carnotensi videlicet parrochia siti, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Proinde nos, dilecte in Christo fili Giralde Abbas, tam tuis quàm venerabilis fratris nostri Gaufridi Carnotensis Episcopi petitionibus annuentes, beatæ Mariæ monasterium, cui Deo auctore præsidet, in apostolica

sedis tutelam excipimus, & contra pravorum hominum nequitiam auctoritatis nostræ privilegio communimus. Statuimus enim ut quæcunque bona, quascunque possessiones idem cœnobium in præsentem legitime possidet, sive in futurum largiente Deo iuste ac canonicè poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illabata permaneant. Ecclesiam scilicet sancti Martini de Operatorio, & Ecclesiam sancti Arnulfi, cum decimis & terra quam dedit Goslenus de Leugis. Nulli ergo omnino hominum liceat idem monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva nimirum Carnotensis Episcopi canonica reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eodem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

*Ego Calixtus catholica Ecclesia Episcopus.*

Datum Remis per manum Grifogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij, Kal. Novembris, Indictione XII. incarnationis dominicæ anno M C X I X. pontificatus autem Domini Calixti II. Papæ anno primo.